

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 57. (*Neovidensis* 1806. Nro. 50.)

---

*Ex Campis Elysiis  
Colloquium Politicum  
vita functorum.*

---

Elysium. -- Meum. -- Die Veneris 4. Julii 1806. (Neov. 20. Junii.)

---

Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat  
error *Politicus*

Horat.

---

Colloquentes umbræ:

*Domina Respublica, & Dominus Fatum.*

*Respublica.* Confecisti ergo iter, Domine Fatum?

*Fatum.* Jam absolvi meam dictaturam.

*Respublica.* Quid sibi volunt tua dicta?

*Fatum.* Facillima sunt intellectu, mea  
Domina! Invadit me cupiditas suscipiendi  
iter politicum. Quare inquirō in omnia me-  
dia, ut ea circumstantiis, praesertim fortioris,  
cui se subicere volupe est, accommodem.  
In hunc modum oberro aliquanto tempore,  
sed in me ipsum reversus animadverto me-  
am potestatem posse facilius dari executioni,  
quam pauxillum pulveris herbae nicotianae.

*Res-*

*Respublica.* Hoc significat: Invenisti ubique gubernia sibi similia, Rempublicam, & Monarchiam tenere inter se aequilibrium.

*Fatum.* Peto veniam; multo minus adhuc reperi.

*Respublica.* Exempli causa?

*Fatum.* Nec Respublicas, nec Monarchias. Apage cum his nihil significantibus verbis, cum hac erudita magis quam practica scholarum distinctione. Bilem mihi movet. Est vita plantae, nemo sollicitatur de salute patriae, nulli sunt characteres, nullae scenae, homines secundum horologium politicum; multum clamatur de constitutione, sed parum fit. Tantundem dimicarem pro constitutione nostra in domo limacis, quantum in civitate.

*Respublica.* Desiderium in me excitas audiendi descriptionem tuae peregrinationis. Scio, te tantum in volatu esse apprehendum, observo autem in te frontem exporrectam, patere ergo, ut fruam occasione. Assimne ex te quaerere stabum Rerumpublicarum in mundo superiore?

*Fatum.* Quantum lubet. Vehementer gaudeo incidisse me in quempiam, qui cupit Respublicas, earumque originem nosse. Primum sibi exponam generalem adumbrationem, deinde adferam etiam nonnulla peculiariora. Pone tibi ob oculos Politicam, quando adhuc intra diem & noctem delitescebat, & aemulatio regnorum infra aquam haerebat; Atque hoc est initium Rerumpublicarum.

Politica invidia omnia impendit, sed nihil conservavit, cuncta perpetuo somno involuta sunt. In rebuspublicis gloria non refert haereditarium praemium; Heros non mandat; saepe repentinus dominatur impetus. Id est: homines unius diei oculis, unius diei auribus, unius diei nasis sunt praediti.

*Respublica.* Admirandis pinxisti meum nomen coloribus.

*Fatum.* Indoles autem adhuc est deterior. Invenies hic alios aliis dissimiliores. Omnibus Reipublicae civibus Titan ex eodem luto finxit praecordia. Preces fundere, laborare, unam quotannis litem movere, acta Magistratum perstringere est symbolum eorum. Honestus vir est, qui nullas concitavit rixas, elegantiorum morum, qui quolibet die solis novum induit indusium, praecclarus, qui in conspectu Magistratus nullum committit delictum.

*Respublica.* Me hercle! fatendum est te esse magistrum in arte pingendi.

*Fatum.* Ego vero affirmo, re diligenter expensa reperiri ibi certum modum — pace mea dixeris illum virtutem — speciem quamdam morum, quam nos virtutem civilem appellamus, utpote frugalitatem, simplicitatem, parsimoniam. Omnia ista nomine honestatis veniunt in Rebuspublicis.

*Respublica.* Has tu virtutes per risum, ac jocum contemnere intendis? cur non adducis in medium Reipublicae Batavorum indefessum studium exercendi commercium?

*Fatum.* Quid Reipublicae? toto coelo erras Domina! Hollandia jam regnis accensetur.

*Respublica.* Monstra narras: Edissere, quaeso, qui id factum sit.

*Fatum.* Erat tempus, quo Respublicae constitui poterant, et conservari, erantque necessariae ad efformandum in Europa aequilibrium.

*Respublica.* Ego existimo, eas ad eundem finem in praesens adhuc pertinere.

*Fatum.* Minime Gentium, Domina! Tempora mutata sunt. Quomodo natae sunt Respublicae? Vigebat inter gentes ob regnorum amplitudinem species quaedam invidiae, cui datum est nomen aemulationis. Jam in hac, jam in illa provincia, ut fieri solet, gliscere coepit seditio, turbulenti quaerebant auxilium apud aemulas nationes, et facili negotio obtinuerunt. Sic Helvetia excussit jugum Romani imperii, sic Hollandia hispanicum. Aemulae gentes arripuerunt hanc occasionem magnum quodpiam regnum ea ratione debilitandi, ut seditiosum populum a civitate principali avellerent. Ita autem erat politica comparata, ut nemo eum suae ditioni adjungere fuerit ausus, secus alios Status contra se concitasset, et illi in factiones diviso populo non fuisset consultum. Quare, ne aequilibrium politicum in suspicionem adducatur, inventum est medium, ejusmodi regionem transformandi in Rempublicam, quae dein sibi formam imperii vel Aristocraticam,

vel Democraticam adoptavit. Imperans quidem aliquo tempore suum factiosum populum bello appetiit, at tandem cedere debuit, et in novum inductum rerum ordinem consentire. Ex his manifestum est, originem Rerumpublicarum adscribendam esse seditio- nibus, quas aemulatio Gentium sustentavit.

*Respublica.* Fateor, Domine Fatum! haec omnia proveniunt ex politica invidia.

*Fatum.* Si abfuisset a Gentibus simulandi studium, si altera alteri eminere non contendis- set, si eo animo sibi junctae fuissent, ut nullam seditionem adjuvissent, nulli populo successisset formare Rempublicam. Ex his, quae dixi, revoca in memoriam exemplum Americanorum. Omnes Respublicae habent idem fundamentum. At nunc alia sunt omnia.

*Respublica.* Quid, omnia alia? Non suntne eadem causa — —?

*Fatum.* Nequaquam, Domina! Datus est orbi vir, qui omnes has rationes sustulit, omnes aemulationes prostravit, adeoque aliae causae alios producat effectus. Aemulati- ones, vel invidiae suppressendae sunt, non audent caput attollere, et cum interitu aequi- librii non sunt necessariae amplius Respubli- cae ad illud reparandum.

*Respublica.* Quid autem invidia Angliae?

*Fatum.* Illa in eam tristem redacta est conditionem, ut jam amplius nihil possit in- videre in Continente. Invidia modo nimis lon- ge progreditur; Duo tantum sunt irritamenta Aemulationis gallicae et Anglicae, videlicet

continens, et maria; Illa continenti, haec maribus dominatur, reliquae nationes sunt extra sphaeram invidiae; Non est igitur mirum, Respublicas cum mutatione causarum debere etiam sentire mutationem effectuum, deletae sunt ex politico codice caeremoniarum. Batavia cessavit esse Respublica, et facta est regnum Hollandiae.

*Respublica.* (Aliquantum perturbata.) Quid autem Russia, et Borussia?

*Fatum.* Russia magnis intervallis distat, et Borussia? Hic etiam novus rerum status enatus est ex neglectis multis occasionibus. Ut exprimam imaginem hujus ultimae gentis, legam tibi fragmentum ex temporibus *Annali*. — Memorabiles viginti anni a morte magni Regis cum omnibus suis stultiis, et infortunis, cum cruenta memoria eversorum imperiorum, amissorum praeliorum, prostratarum civitatum ante oculos nostros versantur. Opera Friderici promoverunt nostrum interitum. Divisae sunt vires veteris nationis germanicae, et gallica Politica Statum unum post alterum opprimet.

Indemnitas, quam Borussia in postrema imperii pace consecuta est, comparate ad honorem, quem amisit, videlicet arbitri patriae, defensoris, exigui erat momenti. Ilius quidem potentia per has compensationes, et Poloniae divisionem increvit, sed continua eidem impendent pericula, quod minus lucrum majori periculo praetulerit. Ab orien-

te eam circumdant fortes Russi. In occidente illam panis germanorum amant, probe enim sentiunt ab ea se derelictos, dum maxime ejus ope egebant. Auxilium galliae tantum noxium est, qui nullius adjumentum implorasset, si fuisset ausus Dominus esse. Verum Borussia nequit nisi virtute germanorum, qui extraneos una cum sua Dominatio-  
ne eliminant, regnare. Quam diu autem provincias occupare, limites figere, debiliores opprimere conatur, tamdiu exposita est prae-  
dae potentiorum. Sic deficit, et tandem emoritur, invicem alias regnum. Borussia fortitudo? Inerat haec viro Magno Friderico, qui omnia animavit, et in continuo conservavit motu. Ast alia tempora alias proferunt leges. Ille ipse in publicis institutis, et magno politicorum negotiorum cursu multa correxisset. Borussia Status suum incrementum tribuit audaciae, at tempore, quod fortissima quaeque, et antiquissima labefactat, nequit se mediocritate, et multo minus tribubando conservare.

*Respublica.* O Fatum! Quanta haec est rerum omnium vicissitudo!

*Fatum.* Tantum adhuc aliqua minoris momenti delibabo: Litterae Neapoli datae affirmant, Vesuvium die 31. praeteriti mensis hora decima vespertina ignem eructasse, sequenti vero die vehementiorem adhuc fecisse eruptionem, *Lavam* autem, seu torrentem igneam per eandem viam defluxisse, quam tenebat mense Augusto Anni 1805.

Parisiis 15. Junii. Provinciae Venetae ablegati huc venerunt, sunt numero 14, quibus praeest Dominus Pisani, vir ex antiquissima familia Veneta, qui ante Revolutionem Gallicam in Aula nostra legatum egit Reipublicae.

Juxta ephemerides gallicas Dominus Laforest gallicas Berolini legatus Aulae Borussiae significavit, nullas amplius gallicus copias 1. Julii in dextra Rheni ripa futuras, siquidem omnes dissensiones ob Cattarum enatae compositae sunt.

*Pr o b l e m a .*

Judaeus quidam lucri cupidus accessit Mathematicum, postulans sibi dici, quosnam ad Lotariam numeros ponere debeat, ut lucretur? Quinque, respondens Mathematicus, eo ordine, eaque conditione, ut summa ex 1. 3. & 4. enata superet summam duorum reliquorum Nro. 8; Si a summa e 1. 3. & 5. conflata substraxeris summam reliquorum, atque residuum per  $40 \frac{1}{20}$  multiplicaveris, factum 4005 erit Nrus indicans, quoties Ambo . . . Si summam omnium Nro 12. auctam ducas in 534, productum 117480 tibi indicabit, quoties Terno . . . Si porro factum ex 2. 3. & 5. multiplices per summam 1. 2. & 4. productum 2555190 ostendet tibi quoties Quaterno . . . Si denique omnes quinque numeros duxeris in se invicem, factum 43949268 tibi indicabit, quoties Quinterno te ponere oporteat, ut certus sis de acquirendo decies ambo; vel dec. ambo, & dec. terno; vel insuper quinquies quaterno; vel praeterea semel quinterno, prout vel ambo, vel terno, vel quaterno, vel quinterno posueris. Judaeus cum ex positis hac ratione numeris quinque prodeuntes videret, tantum concepit gaudium, ut vitam cum lucro commutaverit.

Quæritur, quos, & quonam ordine posuerit numeros?

*Josephus Baczo,*  
Geometra Hungarus.